



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxi [i.e. iii]. Instrumentum separatum quoad causalitatem à principali non datur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

Hinc patet causam malè ideo dici instrumentalem, quia non attingit sua actione effectum, sed producit quid prævium, ad cuius productionem resultat productio effectus. Item quia illi nullum correspondet prædicatum in effectu (foret enim Angelus elevatus à Deo ad creandum alium Angelum omninò sibi similem, adhuc causa instrumentalis, etsi ei omnia prædicata in effectu respondeant.) Item quia movetur priùs à causa principalis; quomodo enim phantasma movetur priùs ab intellectu ?

III. Instrumentum aliud est naturale, quod à natura subordinatur alteri causæ, ut cum ea producat effectum se perfectiorem tale V. G. est phantasma. Aliud artificiale, quod ab extrinseco, nempe ab artifice, ordinatur & assumitur ad effectum, ad quem ex se est improportionatum (quamvis hæc in rigore non sint instrumenta, cum ex se activa non sint, sed tantùm recipiendo in se impetum, unum cum alio conjungant, aut unum ab altero dividant; adeoquè hæc divisio sit analogi in sua analogata.) Aliud obedientiale, quod assumitur à Deo ad effectum alium quem supernaturalem quò ad entitatem, vel quò

quò ad modum producendum. Iterum instrumentum aliud est conjunctum causæ principali secundùm esse, si nimirum ei physicè uniatur, tale instrumentum ignis est calor in quorundam sententia ; vel conjunctum per contactum, ut calamus scribæ: aliud separatum quò ad esse & quò ad contactum, ut telum excussum in hostem. Separatum item dicitur quò ad causalitatem, si absquè causa principali simul influente influat in effectum; verùm meliùs negatur, dari instrumenta separata quò ad causalitatem à principali causa; instrumentum enim propriè tale causare non potest, nisi causa principalis concursu simultaneo cum eo influat in effectum: hinc malè dicitur semen esse causam instrumentalem istius viventis, à quo decisum est, & absquè eo influere in effectum.

IV. Non elevatur instrumentum à causa principali per hoc, quòd habeat præviã aliquam operationem in effectum ante operationem causæ principalis; quid enim operatur phantasma præviè circa speciem intelligibilem producendum, antequàm cum eo concurrat intellectus? Neq; semper elevatur per receptam in se præviè à causa principali
qua-